








DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO

REGIONUM CALIDARUM.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

TYPHO

REGIONUM CALIDARUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI.

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINÆ HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS MACLARTY,

SCOTUS;

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.



EDINBURGI,

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCXCVII.



CAROLUS MACLARTY,

PATRUELI SUO CARISSIMO,

COLINO MACLARTY, M. D.

MEDICINAM REGIODUNI JAMAICENSIS

FELICITER EXERCENTI.

S. D.

Beneficia insignia, quæ in me non solum regioduni apud te degentem, sed etiam Edinburgi commorantem contulisti; et ante omnia, studium, cura, et peritia singularis, quibus mihi, dira febre, de quâ in his pagellis agitur, laboranti, consuluisti, mentem meam tam alte penetrarunt, ut hanc summas tibi gratias referendi occasionem libenter arripiam; hocque opusculum, exiguum grati animi testimonium memor tibi dicem. Vive, valeque.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

T Y P H O

REGIONUM CALIDARUM.

Auctore, *CAROLO MACLARTY.*

CLADES luctuosa, qua hæc febris, vulgo, sed perperam *icterodes* dicta, ultimo quadriennio in multis Indiæ Occidentalis insulis grassata est, et varia quæ de ipsius natura invaluit opinio, medicorum attentionem jure sibi vindicarunt; variisque de utraque contemplationibus ansam dederunt.

Cùm perpendimus, quanta hic morbus vi in corpore humano pollet, quamque parum ſæpe eidem medicina repugnat; eos potiſſimum, quibus cum eodem colluctandum eſt, ſumma ope niti decet, ut ejus naturam calleant.

His igitur rationibus impulſus, et eo quod multa hujus morbi mala, aliquamdiu in Jamaica peregrinatus, non ſolum in aliis obſervaverim, ſed etiam, in me ipſo expertus noverim; eundem, diſputationis inauguralis argumentum, quippe penſum celeberrimæ hujus academiæ uſus ab omnibus ſummos in medicina honores ambientibus poſtulat, cæteris anteponendum putavi.

DE

DE MORBI NOMINE.

MORBO, de quo agitur, varia a variis auctoribus nomina a re quadam peculiari circumstante, vel a signo quodam speciali, petita, indita fuerunt. Galli eundem vocant vel *Maladie de Siam*, utpote frequentem in ista regione, ex qua in Indiam Occidentalem adventum putant, vel *Fievre Matelotte* quia peregrini et nautæ eidem maxime opportuni sunt. Hispani eum *vomito pretto*, nomen ex uno ex dirissimis ejus signis petitum, appellant. Angli ob cutis flavedinem, qua nonnulli eodem affecti fœdantur, *Yellow Fever* vocant ; ob eandem rationem *Febris Icterodes* a CULLENO nuncupatur. Nomina autem *Yellow Fever*, et *icterodes*, perperam seliguntur ; multum enim abest, ut cutis flavedo sit perpetua morbi comes : morbum, igitur *Typhum Regionum Calidarum* appellare maluerim, non deesse ratus, cur eundem regionum frigidarum Typhum calida regione degeneratam putemus.

DE DEFINITIONE.

HAUD raro difficile eſt morbos accurate definire, cum *pathognomonica* morbi ſigna deſunt: nulla forſitan affectio hac difficultate magis premitur, quam calidarum regionum typhus, cujus quippe ſigna raro in ullis binis exemplis prorſus eadem ſint; et circumſtantibus rebus haud parum varientur: hæc quidem diſcrimina adeo ſunt inſignia, ut nondum inter medicos conveniat, ad quod genus morbus referendus eſt.

SCHOTTE * eundem ad *ſynochum* relegandum opinatur; et recte quatenus multa haud mediocris inflammationis ſigna ſe morbi initio oſtendunt. Cum hæc autem brevi durant, aliiſque, indolis inſigniter diverſæ excipiuntur, crediderim potius CULLENUM morbum ad *typhum* rectius retuliſſe. Hic monet

* Treatiſe on the Synochus Atrabilioſus.

monet quod rei noſtræ, bene accommodatur :—
" Inter typhum autem et ſynochum limites accu-
" ratos ponere non poſſum *;" exempla enim mitiora ad illum, graviora ad hanc, referri poſſunt. Propter rei igitur difficultatem, futurum ſpero, ut ſequentis definitionis defectus excuſati habeantur.

Febris in regionibus calidis peregrinos potiſſium afficiens ; pulſus initio plerumque frequens et plenus ; poſtea debilis et mutabilis ; oculorum tumor, rubor et ardor ; gravis præcordiorum anxietas ; ſenſorii functiones plurimum turbatæ ; vires multum imminutæ.

DE

* Synop. Noſolog. Method.

DE MORBI HISTORIA.

Hoc malum juvenes et plenos, et præſertim ex regionibus frigidis recens appulſos, fere ſemper adoritur; hinc nautæ ac milites, præ cæteris, afficiuntur. Mulieres et infantes rarius quam viri, et Æthiopes adhuc rarius, eodem corripiuntur; hi quidem peculiari quadam corporis conditione, qua ab hac peſte immunes evadunt, præditi videntur: et ſemper, ſi forte eadem afficiuntur, mitiori ejus formâ laborant.

Febres Indiæ Occidentalis typis diverſis inſignitæ, diverſis diei horis impetum facere obſervantur; nihil autem hujuſmodi de hac febre affirmari poteſt: diverſis enim diei temporibus accedit; plerumque tamen mane impetum facit.

Morbus plerumque cum languoris ac debilitatis

ſenſu,

ſenſu, dolore capitis, vertigine, anxietate ac nauſea comitantibus, obrepit; animi linquentis ſigna primo interdum ſentiuntur.

Hæc ſigna calore aucto, acuto lumborum ac dorſi dolore, nauſea vehementi, et vomitione bilioſa brevi excipiuntur; et nonnunquam ſudores, in quibuſdam exemplis, convulſionibus comitati, prorumpunt. Capitis dolor fit immanis, et ad ſummum cruciatum uſque augetur; oculi rubri, prominuli, luciſque impatientes evadunt.

Arteriæ modo frequentes, validæ ac plenæ micant, et more inſolito ſubſiliunt; modo parvæ, frequentes, et compreſſu faciles; alias autem ipſarum ictus ſunt admodum peculiares, et cum motu vermiculante a JACKSON conferuntur.

Spiritus eſt frequens; ſitis inexplebilis plerumque urget; interdum vero haud multum intenditur. Lingua eſt fœda, amaro oris ſapore comitante. Cutis eſt admodum ſicca, et arefacta, corporiſque calor,

calor, licet non ſemper ultra modum intenſus, ſenſu quodam tamen peculiari, acri, et pungenti, explorantis digitum afficit. Urinæ ſpecies ſunt admodum variæ. Hypochondriorum dextrorum ardor et dolor, qui ſæpe preſſu augentur, ingens anxietas, et præcordiorum oppreſſio, cum magna, ſub quemvis niſum, animi liquentis proclivitate, adſunt.

Levis interdum ſignorum remiſſio hora a morbo inchoato duodecima circiter contingit: Signa vero raro adeo remittunt, ut remiſſionem veram adeſſe dixeris; rebus ita ſe habentibus, brevi aucta recrudeſcunt. Sæpius autem ſine ulla remiſſionis nota ingraveſcentia perſtant.

Capitis dolor, in multis licet morbi naſcentis caſibus levis, jam fere intolerandus, cum ingrato frontis, quaſi chorda tranſverſaria contractæ ſenſu, evadit: oculi interea rubeſcunt, admodum dolent, luciſque impatientes fiunt; rubor ore ſuffunditur; vultus eſt perturbatus, torvus ac trunculentus, quæ ſigna, verbis quidem vix depingenda, morbo aſſueti,

ti, rerumque ufu periti, difcrimina, agnofcunt. Ventriculus magno jam dolore excruciatur, adeoque mobilis fit, ut ingefta protinus rejiciantur: præcordiorum anxietas et oppreffio fummam moleftiam afferunt. Refpiratio fit crebra et laboriofa. Æger fumma inquietudine angitur; fitum fuum perpetuo mutat; crura et brachia hic illic in lecto volutatus jactat; diraque infomnia infelicitatur.

Poftquam hæc mala miferum nonnunquam viginti quatuor horas, fæpius autem ad tertium diem ufque fatigaverint, pleraque remittunt; aliaque natura prorfus contraria fuperveniunt. In fauftis cafibus figna penitus remittunt; fudor, aut lenis diarrhœa prorumpit, febrifque in fanitatem mutatur. Hic autem exoptandus morbi exitus, hoc ejufdem ftadio vix expectandus eft: quamvis enim capitis dolor minuitur; et cutis calor ad normam fere naturalem redit; ægerque adeo bene fe habere videtur, ut ipfe et amici ejus morbum profligatum opinentur; hæc autem fpes fallax brevi du-

rat: nonnunquam enim poſtquam omnia ſigna penitus remiſerint, ægerque morbo omnino immunis videtur; convulſionibus, quæ vitæ finem brevi imponunt, corripitur. Morbus autem ſæpius modo jam deſcribendo progreditur.

Arteriæ inſigniter ſe ſubmittunt, et intermittunt; nonnunquam crebrius micant; ſæpius autem infra ſanitatis normam tardeſcunt; flavedo circa oculos, tempora et collum, ſubnaſcitur, brevique in totum corpus diffunditur: vomitio, ſi non antea, jam ſaltem perpetuo urget, et materia rejecta ſpeciem nigricantem, coffeæ fæcibus haud abſimilem induit. Nonnulli evomunt inſignem laticis albeſcentis et limpidi copiam, cujus ſuperficiei magnus laminarum fuſcarum olei guttas referentium innatat. Lingua et os jam cruſta nigricante obducuntur. Coma plus minuſve, et delirium mite ſuperveniunt, oculo ſimul nubilo ac triſte, cum manifeſta pupillæ amplificatione. Delirium ſæpe maturius accedit, tuncque adeo eſt ferox, ut duobus pluribuſve aſſeclis ad ægrum lecto coercendum o-

pus ſit; hujuſmodi ægris pupillæ maturius etiam ampliantur.

In priori morbi ſtadio alvus eſt inſigniter aſtricta; nunc vero alvi proluvies, qua materia admodum fœtida, iſti, quæ vomitione rejicitur, haud abſimilis, deſcendit. Urina quoque a nonnullis colore nigricante, præter naturam ſpiſſa, et cum ſanguinis grumis commiſta, mingitur. Ingens ſanguinis nigricantis vis ex variis corporis partibus, non ſolum ex naribus, ore, auribus, oculis, ano et urethra, ſed etiam ex ipſis cutis ſpiraculis, profunditur. Uno ægro in valetudinario regioduni Jamaicenſis, ſanguis ex axillis manabat. Dentes ac labra ſanguine e gingivis effuſo et concreto obducuntur; et anima et totum corpus odorem intolerandum diffundunt. Maculæ lividæ in variis corporis partibus, ſed præcipue in femoribus et abdomine erumpunt.

Poſtquam æger hoc modo per tempus plus minus longum affectus fuerit, convulſiones, quæ mi-

feriæ finem faciunt, tandem fuperveniunt. Sæpe autem vis vitæ paulatim extinguitur; arteriarum pulfus celeriter labafcunt; fubfultus tendinum fuperveniunt; fudores vifcidi prorumpunt; artus et fummum corpus, frigefcunt; æger nec audit, nec videt; oculi immobiles fiunt; morfque tandem fpectaculo lugubri finem imponit.

Morbi curfus, fignorumque violentia, et concurfus, in variis cafibus, pro diverfo habitu, fitu, curatione, aliifque ægri rebus circumftantibus, infigniter variat.

In exemplis malignioribus, in quibus figna curfum fuum celerrime abfolvunt, nonnunquam, viginti quatuor horarum fpatio, ad finem perducitur; die autem tertio vel quarto plerumque terminatur. In cafibus mitioribus finis in tempus multo longius porrigitur; tuncque manifefta fignorum remiffio altero quoque die percipi poteft. Raro ultra feptimum aut nonum diem protrahitur; in

qui-

quibuſdam tamen exemplis haud citra decimum quintum, aut etiam vigeſimum primum, diem finitur.

RATIO QUORUNDAM SYMPTOMATUM.

Capitis dolor vehemens, rubor faciei et oculorum ex ſanguinis impetu caput verſus aucto oriuntur.

Præcordiorum oppreſſio et anxietas vaſorum ventriculi, hypochondriorum, partiumque vicinarum plenitudini ad inflammationem fere auctæ, tribuenda ſunt.

Vomitio frequens vel a bilis corruptæ, mucive acrimonia, vel ab ipſius ventriculi inflammatione, quæ interdum, cadavere inciſo, obſervatur, vel ex utriſque provenire poteſt.

Materia nigricans coffeæ fæcibus haud abſimilis,

quæ

quæ vomitione rejicitur, degeneratæ fellis ſecretioni cum ſanguine qui in ventriculum ex vaſis effunditur, commiſtæ, tribuenda videtur.

Laminæ fuſcæ liquori pellucido innatantes, nihil aliud quam eadem bilis ventriculi humoribus confuſa videtur.

Pupillarum amplificatio a plenitudine vaſorum capitis, vel interdum forſan a ſanguine, vel ſero, in cerebri ſuperficiem, aut ventriculos, effuſo, exoritur *.

Alvus aſtricta ex tubo inteſtinali, ob ſolitam humorum copiam ex arteriis exhalantibus haud effuſam, arido, plerumque oritur: viſcerum quoque torporem nonnunquam ex quadam ſenſorii conditione, iſti, quæ in hydrocephalo interno contingit, haud abſimilis aliquatenus pendere, veriſimile videtur.

Fla-

* Vid. Chisholm on the Yellow Fever, p. 138.

Flavedo cutis provenit ex nimia bilis ſecretione, quæ venis inteſtinorum lymphaticis reſorpta in ſanguinem defertur, et in totum corpus diffunditur.

Hæmorrhagiæ ex variis corporis partibus, et maculæ lividæ pendent ex parvis arteriolis adeo laxis et ſolutis, ut ſanguinem in telam cellulоſam infra cuticulam elabi, vel ex ſummo corpore, manare ſinant.

DE DIAGNOSI.

INTER pleroſque ſere medicos varias regionum calidarum febres nihil aliud quam ejuſdem morbi varietates, gradu tantum diverſas eſſe convenit.

Quamvis typhus regionum calidarum indolem quandam peculiarem habere videatur, ideo quod advenæ ex regionibus frigidis eadem fere ſemper corri-

corripiuntur; et quod illi, qui in regionibus, in quibus morbus grassatur, aliquandiu commorati sunt, fere semper ab eodem magnâ licet feritate in peregrinos sæviente, immunes evadunt. Nulla veruntamen non est ratio, cur unicam febrium regionum calidarum speciem esse *intermittentem*; omnesque ejusdem variationes, ex causarum prædisponentium et excitantium violentia, et prava medendi ratione pendere credamus: imperita enim curatione paroxysmi febriles tanta sibi cum velocitate succedunt, ut nulla intermissio percipi possit: et eadem medendi ratione continuata, morbi violentia adeo augebitur, ut in typhum pessimis signis comitatum desierit. SENAC observat, "In alias febres "compositas abeunt simplices intermittentes; possunt scilicet in continuas, v. g. ut videbimus "commutari, servato tamen, partim saltem quo ab "aliis distinguntur typo *."

Calorem insigni vi in proclivitate ad febrem intermittententem gignenda pollere, hinc plane evincitur,

* De Recond. Febr. Nat.

citur, quod, febribus continuis calidarum regionum incolas in frigidis terræ plagis corripientibus, proclivitas ad intermittendum plus minus perſtare obſervatur. Frigidas quoque regiones corporis conditionem febribus continuis opportunam efficere probabile eſt ; hancque ob cauſam peregrinorum, in calidas terræ plagas recens advectorum, febres, tantam in continuarum typum proclivitatem oſtendere veriſimile eſt.

Morbi quidem initio, quodvis ſignum, quo clare a febre remittente dignoſcatur diſcernere difficile eſt. Pulſuum conditio aliquid huic rei obſcuræ luminis nonnunquam offundere poteſt ; verminantes eorundem motus, teſtante Rush, morbum ſatis diſtinguunt : oculorum, vultuſque, ſpecies ſæpe quoque morbum ad vivum depingunt ; idem auctor notat, " It was as much unlike that which is exhi-" bited in the common bilious fever, as the face " of a wild is unlike the face of a mild domeſtic " animal *."

C Morbo

* Vid. Rush's Account of the Yellow Fever, p. 37.

Morbo provecto, summus ventriculi dolor, et mobilitas, nausea et vomitio assiduæ, materiæque rejectæ species naturam ejus designant: et sane si horrendi hujus mali historiam respiciamus, signorum concursum eidem a quavis alia, qualicunque demum nomine insigniatur, affectione, clare secernendo parem esse liquido patebit.

Ex eo quod nomen *icterodes* huic morbo ab omnibus fere inditur, inde morbi discrimen in cutis flavedine consistere, jure forsan confici videretur; hoc autem signum est minime perpetuum; morbus enim cunctis aliis, præter cutis flavedinem, signis indicatis sæpius infauste desinit.—" I have used " the word *Yellow*," ait Moseley *, " in com- " pliance with custom; but I even distrust that " name: as the inexperienced may be looking out " for that appearance, and not find, until it is too " late, the disease he has to contend with. In- " deed, the yellowness of the skin, like the black vo-

* On Tropical Diseases, p. 413.

"vomiting, is not an invariable ſymptom of this "fever;—thoſe who are fortunate enough to re- "cover, ſeldom have it; and many die without "its appearance."

Morbum naſcentem, ſine ullo errandi periculo dignoſcere valebimus, quando per populum graſſatur, animum ad omnia ægri propria advertando; et reſciſcendo, num brevi, poſt alios, qui eodem laborant, viſos, male ſe habuerit.

DE PROGNOSI.

De morbi eventu, qui tanta plerumque clade, et velocitate progreditur, minime mirandum eſt, ſi judicium ſit admodum anceps; ſi peſſima ſemper timenda ſint. Scire autem valde juvat, ſigna ſæpe etiam in caſibus, de quibus minime bene ſperare licet, diſcedere, ægrumque ſanitati ſuiſque reſtitui; quæ quidem felicitas nos ad omnia, quibus leva-

men obtineri poteſt, præſtanda, utcunque periculoſus videatur morbus, incitare debet: docetque ſimul quanta prudentia de mali exitu præſagiendum ſit.

De morbi eventu plerumque judicandum erit ſignis quæ ſpem timoremque noſtrum alternare faciunt. Si ſigna, morbo inchoato, fuerint mitia; præſertim ſi capitis dolor non ſit gravior, ſi oculi ſint fere naturales, neque multum rubeſcant; morbum mitem indicari ſperare fas eſt; ſi morbus ſine magna anxietate, aut inſigni inſomnia exacerbetur; ſi ſignorum remiſſio placidum ſomnum, ſudoremque univerſum induxerit, ſunt res fauſti ominis, morbumque jam victum, fidem faciunt. Si vomitus adeo ceſſaverit, ut ventriculus ingeſta ſine magno negotio teneat, eſt felix ſignum: Si ſupervenit alvi proluvies, quæ ægri vires non frangit, ſed potius anxietatem et præcordiorum oppreſſionem levat; ſi ſimul arteriarum pulſus magis ſecundum naturam micant, capitiſque, et ventriculi ægrotatio remittet, bonum augurandum.

Contra

Contra, ſi morbo naſcente, ſigna violenta fuerint; præſertim ſi oculorum et facici rubor magnus exiſterit; et convulſiones ſuperveniant; exitus inauſpicatus timendus eſt. Anxietas præcordiorum moleſta, vomitio aſſidua, dolor epigaſtrii et hypochondriorum ſævus, et magna debilitas, mali ominis ſigna ſunt. Pervigilium, inquietudo magna, delirium ferox, coma profundum, oculorum feritas, et inflammatio; eorundumve hebetudo triſtis, et nubila, et pupillarum amplificatio, pejoris adhuc ominis indicia habenda ſunt. Omnium vero ſignorum peſſima jure habentur materiæ nigricantis vomitio, ſanioſa alvi proluvies, invitus urinæ fluxus, eandemve reddendi impotentia, copioſæ ſanguinis ex ore, aliiſve partibus, profuſiones, maculæ lividæ, devorandi difficultas, ſingultus, et extremorum frigus; his enim urgentibus, vis vitæ adeo exhauritur, ut mors ineluctabilis fiat.

CAUSÆ

CAUSÆ.

Typhi regionum calidarum, ſicut aliorum morborum cauſæ duplices ſunt: 1*mo*, Quæ corpus morbo opportunius reddunt; 2*do*, Quæ in corpore jam proclivi facto morbum excitant.

Cauſæ Prædiſponentes.—Quando peregrini quidem, cum primum ex frigidis in calidas terræ plagas pervenerint, ad hanc febrem maxime proclives exiſtunt; illos corporis conditione eidem in primis opportuna præditos eſſe, veriſimile videtur. Hi quidem advenæ duriorem corporis compagem, regionibus calidis reſiſtendis minime aptam, habent; indigenæ vero corporis habitum omnino contrarium poſſident: in his ſolida ſunt laxa, ſoluta, totaque machina conditionem a diatheſi phlogiſtica alienam adipiſcuntur. Omnia igitur, quotquot plenitu-

nitudinem augent, et inducunt; nimius ſcilicet potus meracioris, et inebriantis, uſus, et ignavum vitæ genus, corpus irritabile reddendo, proclivitatem in morbum gignunt.

Ebrietas, etiamque corporis defatigatio, quippe quæ inſigni in debilitate efficienda vi pollent, cauſis prædiſponentibus annumerandæ ſunt

Cauſæ Excitantes.—Halitus ex corporibus morbo laborantium cauſa longe frequentiſſima exiſtit: cùm autem plures auctores * fidi, et ſpectabiles, de hac re ancipites hæreant; haud abs re enquirere videatur, num hæc febris contagione vulgatur.

De effectu peſtifero, qui ex corporis humani anhelitu, circa idem aliquandiu in clauſis locis retento, oritur; viroque mortifero, quod iſte halitus, præſertim cum ex his, qui febre *typhœde* laborant, adipiſcitur, ſatis jam inter medicos conſtat; hinc porro, dixerim, typhi hujus acerbitas,

* Vid. HILLARY, HUNTER, MOSELEY.

bitas, diraque ſtrages, quam in India Occidentali, ab Aprile, anno 1793, quando in Granata exorta eſt, in hunc uſque diem graſſata, edidit *.

Ex his, quæ de hac febre per plagas tropicas graſſante memoriæ produntur, nemo non prejudiciis vacuus eandem peſtiferam eſſe conficiet.

Eſt iſtuc quidem datum his regionibus; ut febris non niſi longis, poſt multos annos lapſos, intervallis in iiſdem peſtifera ſæviat. Multi igitur clinici in illis terræ plagis per plures annos, morbo nunquam niſi ſparſim viſo, commorantur; hincque eundem peſtilentem eſſe negant.

Si quis olim de hac re ſcrupulus reſtiterit; mira infelicitas, qua quadriennium jam lapſum in India Occidentali, et præſertim in Jamaica, et inſula Sancti Dominici, graſſata eſt, moduſque, quo huc illuc diffunditur, omne de hac quæſtione dubium tollunt.—" But the infection was not," inquit " CHIS-

* Vid. CHISHOLM on the Yellow Fever, p. 98. et ſequent.

" CHISHOLM, " confined to Granada alone; " from this as a focus it ſpread to the other " iſlands, to Jamaica, St Domingo and Philadel- " phia."

Hæc febris peſtifera graſſans in navi in regioduni Jamaicenſis portum ex Granata jam appulſa, primo circa idus Aprilis anno 1793 ſe oſtendebat. Plures ex nautis in tranſitu, et maxima eorum, qui evaſerant, pars, poſt appulſum mortui ſunt. Peſtilentia brevi ſe in cæteras naves diffudit, a nave ad navem facile indaganda. Vertente biennio, quod poſt febrem exortam in inſula commoratus ſum, ne una quidem navis in regioduni portu, ſive Europæa, ſive Americana extitit, cujus nautæ morbo immunes evaſerunt. Omnes enim, ſi duas treſve excipiamus, pluribus ex nautis ſuis orbatæ fuerunt.

Quamvis hæc evidentia adeo clara ſit, ut cuivis ſatisfacere queat; non deſunt tamen, qui ſententiam prorſus contrariam tenent; peſſimaque infor-

D tunia

tunia tribuunt ægros curantibus, qui morbum pestiferum male rati miseros sibi confisos derelinquunt *. Contra hanc vulgarem opinionem, febrem nimirum non esse pestiferam, pessimos effectus edidisse, et ægris suisque haud parum miseriæ conflasse, ob res, quibus cavetur, ne pestilentia coacervetur, et diffundatur, neglectas, affirmare ausim.

Nonnulli qui medicinam diu, non sine laude, in Jamaica fecerunt, haud dubitarunt asserere hanc febrem non esse pestiferam †. In hanc sententiam, propter rationes jam allatas, et quod indigenæ, quique paucos annos in India Occidentali commorarunt, paucis tantum casibus exceptis, febres immunes evadunt. Meminisse autem oportuit indigenarum, ibique loci diu commoratorum corporis compagem et conditionem adeo ab advenarum, distare, ut hujus febris contagioni minime opportuni existunt.

Plerique

* Vid. Fisher, Dissert. Inaug. de Febre Flava Reg. Calid.

† Vid. Encyclopædia.

Plerique utique medicorum Jamaicentium hanc febrem haud ante annum 1793, quo inter ipſos peſtifere graſſata eſt, contagioſam reri ſolebant; tuncque etiam, multi haud potuerunt adduci, ut eandem peſtiferam crederent; experientia vero edocti, quanta curâ peſtilentiæ occurrendum eſſet, brevi didicerunt.

Plures auctores * in regionum calidarum morbis probe verſati non ſolum hanc, ſed etiam intermittentes, peſtiferas eſſe, opinantur: rem ita ſe habere minime patet: typho vero regionum calidarum, variolas ipſas, aut morbillos, vix peſtilentiores crediderim.

Dr Clark †, in tractatu ſuo de hac febre, nuper edito, aſſerit, "I am of opinion, that this terrible diſeaſe was not imported into this, or any other of theſe iſlands, or into America, but that "it

* Cleghorn, Baglivius, Boerhaave, Van Swieten.

† Treatiſe on the Yellow Fever, as it appeared in the iſland of Dominica, in the years 1793,—4,—5,—6.

" it was produced from natural caufes." Deinde obfervat, " A deranged ftate of the atmo-
" fphere, as mentioned before, feemed to me to
" be the firft caufe that excited this mortal difeafe
" in our ifland; and, as it prevailed in the diffe-
" rent towns of the other iflands, the more they
" were crowded with ftrangers, I am inclined to
" believe that it proceeded from the fame caufe in
" them all, aided, and perhaps put in action by
" the great concourfe of people in towns expofed
" to fo much heat." Hunc cœli ftatum turbatum illuftrare conatur, nobis dicendo, " This de-
" rangement of the component parts of the atmo-
" fphere was probably effected by the ftrong light
" and intenfe heat of the Sun, having difengaged
" or formed fome combination with its vital part,
" or a certain portion of it, which being fo united
" and rarefied, would rife far above that ftratum
" of air, in which we, in lower fituations, breathe,
" leaving the mephitic or heavier part near to the
" furface of the earth;" et poftea addit, " There
" appears to have been fuch an extenfive and ve-

" ry

" ry peculiar deranged ſtate of the atmoſphere in
" the towns in theſe iſlands, and in North Ame-
" rica, that it is more probable this diſeaſe was
" produced by this general cauſe breaking out
" *nearly at the ſame time* in different places, than
" that it originated only in one or two towns, and
" was carried from thence by infection to others,
" by either perſons or goods, as has been ſuppo-
" ſed."

Si autem Doctor animum ſuum ad morbi hiſtoriam majori cura advertiſſet, facile addidiciſſe potuiſſet, hanc febrem in diverſis Indiæ Occidentalis inſulis, et America, *eodem fere tempore*, minime ſe oſtendiſſe: nam teſtante CHISHOLM primo apparuit Georgiopoli in Granata die 19° Februarii; quod, iſta hypotheſi poſita, fieri non potuit. Regioduni in Jamaica die 18° Aprilis exorta eſt; et eodem fere tempore Dominicopoli. In oppido Roſeau in Dominica die 15° Junii, ſecundum CLARK ipſum, prorupit: in Philadelphia autem haud ante 5m Auguſti diem ſe oſtendit, ut RUSH nobis

nobis confirmat. Et sane hunc auctorem morbi, de quo agitur, originem et progressum adeo penitus ignorasse, mirabitur nemo, qui hæc ejus verba perlegerit: "With a view to avoid relating any "thing which is not derived from my own expe- "rience and judgment, I have been cautious not to "peruse any of the publications which have ap- "peared on the subject."

Porro *locorum paludusorum anhelitus* insigni in hac febre excitanda vi pollet. Notabile hujus rei exemplum in valetudinario Grenevico Jamaicensi, quod agello pestilentissimo prope paludem insidet, sæpe observatum fuit; nam febres intermittentes, quo ægri illuc advecti laborabant, in febres malignas degenerare solebant; typhumque regionum calidarum pessimis signis, qualia sunt copiosæ sanguinis ex ore, ano, et etiam ex omnibus cutis spiraculis profusiones, ibidem in hos ægros sævire observatum est; dum alii ex eadem causa ægrotantes, cætera prioribus ægrotis similes, excepto quod in

navibus

navibus ægri decumbebant, nullis iſtiuſmodi diris ſignis aſſiciebantur *.

Cum proclivitas in multis non adeo præceps eſt, quin diu contagio, nullà febre exortâ, objiciantur; aliæ exiſtunt cauſæ, quæ ejuſdem actioni ſubinde favent. Harum præcipuæ ſunt ſubitæ temperiei viciſſitudines, præſertim diuturna ſolis, aut caloris humoriſque, actio, aura nocturna, aſpergines roris copioſæ, magna ac ſubita ex quavis cauſa defatigatio, et ebrietas:

Cœli temperies in regionibus tropicis tam parum plerumque mutatur, ut caloris viciſſitudines vix pro cauſa habendæ ſint.

Advenæ haud multum ex hujuſmodi aëris viciſſitudine illico facta, ſed potius ex temperiei mutatione

* Vid. Lind's Eſſay on Fevers, p. 173.

Vid. quoque, Pringle, Diſeaſes of the Army, Part III. Chap. VII.

tione cui, ex frigida in calidam regionem migrando, objiciuntur, detrimenti capiunt.

Ubicunque vero terrarum iſtiuſmodi cœli viciſſitudines inſignes fuerint, majore minoreve vi pro rata parte polleant oportet. MACKITTRIC narrat *, " In autumo anni quinquageſimi quarti labentis ſeculi, ſebris putrida flava inter nautas et " milites nuperrime ex Anglia conſcriptos, ſæviebat. Nebuloſa, tranquilla, et fervidiſſima fuit " tempeſtas prægreſſa ; adeo ut inde ad nonageſimum uſque gradum evectus eſſet thermoſcopio " Mercurius. Præterea venti aura, quæ fuit profecto minima, ab occaſu et auſtro ſpirans ad aëris ſtagnationem et inquinationem plurimum contulit." LIND † porro obſervat, " In the year " 1764, exceſſive heat and want of rain for ſome " months, gave riſe to violent epidemic bilious " diſorders (reſembling thoſe of the Weſt Indiès) " in

* De Febre Indiæ Occidentalis maligna flava, p. 35.

† Eſſay on Fevers.

" in the city of Cadiz in Spain, of which one hun-
" dred perſons often died in a day."

Iſtuc vero generi humano auſpicatò datum eſt, ut cuivis cœli varietati paulatim ſe aptet; hinc Europæi temporis lapſu fervidis Indiæ Orientalis, et Occidentalis, caloribus ferendis, aſſueſcunt, modo vires recens appulſis iterato ſæpius valetudinis impetu non frangantur. Europæi hoc modo aſſueti non minus continua et proſpera valetudine, ac illi qui domi manent, fruuntur. Delicatula autem machinæ humanæ compages ſubitis ac violentis mutationibus, quæ ad ſanitatem ſubruendam ſemper pertinent, impar exiſtit.

DE CURATIONE.

Cursu præcipite, diriſque hujus ſebris ſignis perpenſis, maturâ medicinâ ad ſtragem funeſtam, quam

sæpius edit, reprimendam, opus esse manifestum est. Qualia autem remedia respondeant, nondum inter medicos convenit, quippe qui alii alia, sæpe contraria, auxilia, commendant. Aliam vero corporis conditionem, aliudque vitæ genus, aliam in certis casibus medendi rationem postulare, signaque peculiaria, propria remedia indicantia, diversa in diversis ægris, supervenire nunquam obliviscendum est. BAGLIVIUS monet "In remediis itaque præ-"scribendis, semper ante oculos habe tui climatis "naturam, tuorumque popularium temperiem; "neque quicquam præscribas quod ex libris didi-"ceris, nisi prædicta calleas."

Munditiæ.—Summa ope niti decet, ut munditiæ circa ægrum fiant; lintea et stragula sæpius mutentur; omnia excreta quamprimum rejiciantur; aër recens cubiculum assidue perflet: his enim neglectui habitis, irritatio adeo augetur, ut effectus remediorum alioquin profuturorum irritos reddat.

San-

Sanguinis detractio.—Tot ſunt medicorum de hujus remedii uſu opiniones, ut quibus exemplis conveniat, quando uſurpandum, quandoque fugiendum ſit, non facile dixeris. Nulla de eadem regula generalis ſtabiliri poteſt; interdum enim cum fructu haud dubitando, ſæpius autem profecto cum peſſimo exitu, adhibitum fuit. Caſibus, quibus plenitudinis inflammationiſve aliquarum partium, cerebri, viſcerumve abdominis, ſigna adſunt, remedium aptum perhibetur. Ante vero quam adhibeatur, commoda ex ſignorum levatione percipienda, incommodaque ſanguinis detractioni ſuperventura, ſedulo ponderanda ſunt. In hujuſmodi enim affectione, quæ magna debilitate, motus faſtidio, pulſu molli debili ſubmiſſo, animoque demiſſo ſæpe inſignitur, tale remedium caute ſuadere decet.

In hujus quidem remedii laudibus multus eſt Rush, qui ſanguinis copiam præter ſolitum magnam, hoc malo Philadelphiæ anno 1793 peſtiferè graſſante, febricitantibus mittere ſolebat. Res au-

tem haud æque feliciter in India Occidentali cessit; CHISHOLM enim pessimos exitus semper habuisse nobis confirmat; SCHOTTE eadem de eodem in Senegallia anno 1778 sæviente observat.

Et CLARK * observat, "From the remark-"able flushing of the face, great inflammation of "the eyes, and full pulse in the first stage of this "disease, young practitioners might be induced to "use the lancet freely, and the French surgeons, "whose chief remedy in almost all diseases in these "islands is Venesection, very readily fell into this "error."—"There was not," addit ille, "a sin-"gle instance of an emigrant recovering who had "been bled."

Si mihi de plurium exemplorum, quibus sanguinem missum vidi, summa, judicare fas esset, eundem raro admittendum, nec unquam nisi cautissime suadendum, colligerem. Multo plures ex his,

* Treatise on the Yellow Fever, p. 24.

his, quibus ſanguis detractus fuit, quam ex iis, qui hanc exinanitionem paſſi non ſunt, periere.

Si ea ſint ſigna, ut ſanguis detrahendus videatur; hoc maturè, nunquam poſt ſecundum a morbo inchoato diem, fieri debet; cùmque nunquam, niſi ad ſigna partium propria levanda rite adhiberi poſſit; ex parte affecta, vel quam proxime eidem detrahi debet.

Incommoda ex ſanguinis detractione provenientia erant admodum inſignia in nauta robuſto ac pleno undevigeſimum ætatis annum agente, cui ſigna, quæ ſanguinis detractionem indicari feruntur, plus ſatis manifeſta adfuerunt. Dolore captis vehementi, rubore faciei et oculorum, cum pulſu pleno, valido, ac duro, afficiebatur. Duo medici qui eum mane, quo ægrotare cæpit, viſebant; ſanguinis detractionem ob ſignorum naturam, et vehementiam omnino neceſſariam judicarunt. Sanguinis igitur unciæ duodecim illico e brachio miſſæ fuerunt. Inter ſanguinem detrahendum, ſummus

languor,

languor, viresque, in toro licet recumbenti labescere, tantaque debilitas supervenire, ut vix se erigere possit. Inde usque ad mortem, quæ tertio die obtigit, vires ejus paulatim frustra repugnante satis magna vini et cinchonæ copia assumpta, cum ingenti totius corporis debilitate, arteriarum pulsu, ex quo primum sanguis erat missus, parvo debili, nec parum præter naturam tardo perstante, opprimebantur.

Emetica.—Inter plerosque scriptores convenit de damno, quod vomitoria medicamenta hac febre laborantibus afferunt; quando assidua quidem nausea et vomitio haud raro signa molestissima fiunt, nulla arte, nullo auxilio vincenda, hujusmodi auxiliorum usu asperata, immo revera nonnunquam excitata fuerunt.

Vomitio spontanea, quæ ventriculo rebus acribus irritato supervenit, ad easdem reficiendas satis superque valet; vomitio igitur augeri non debet; res acres alvi purgatione potius facessendæ sunt.

De

De his acribus hæc verba habet HILLARY *.— "The great irritation of the ſtomach, by the pu-"trid bilious humours which conſtantly attend this "fever, with almoſt conſtant retchings and violent "vomitings, ſeem to indicate giving an emetic; "but the coats of the ſtomach, I have always ob-"ſerved, are here ſo violently ſtimulated and irri-"tated, and moſt commonly inflamed by the acri-"mony of the putreſcent bile, that any emetic, "even the moſt gentle and mild, and ſmall doſe, "generally brings on ſuch an inceſſant vomiting, "that it continues, in ſpite of all remedies, till an "inflammation and mortification of the ſtomach "comes, which ſoon ends in death, as I have too "often obſerved, when called in after they have "been given. Neither could I ever find, that a-"ny antiemetics, fomentations, or any other me-"thods, would very ſeldom avail and prevent it; "wherefore I have always ſtrictly forbid giving "any emetics whatever."

Ca-

* Obſervations on the Diſeaſes of Barbadoes, p. 159.

Cathartica.—Propter magnam fellis aliorumque humorem corruptorum vim, quæ per totum hujus morbi decurſum in tubum inteſtinalem perpetuo profunditur, aſſiduamque irritationem inde oriundam, ſumma ad eandem eliminendam, cura adhibeatur oportet. Hoc conſilio alvus medicamentis catharticis ore ſumptis, vel *enematis* forma ſubter datis, leniter ſoluta, prout ſigna poſtulaverint,ſervada eſt. Cùm autem poſt morbum aliquantulum progreſſum, inteſtina adeo torpeant, ut cathartica ad effectum exoptandum minus valeant, ad eadem, primis morbi horis, vel cum æger ægrotare cæperit confugiendum:

Sales neutrales quippe quæ inſigni refrigerandi vi pollent, opuſque ſuum brevi abſolvunt, ſatis apta videntur; ventriculi autem mobilitas non ſemper eadem in juſtum tempus ad effectum præſtandum retineri ſinit.

Hydrargyrum muriatum mite omnium catharticorum, quæ in hoc malo exhibentur optime reſpondere

dere obſervatur; hincque cæteris omnibus antiponendum; cum ventriculo enim bene congruit; et duodeno exinaniendo optime accommodatur. Hujus medicamenti doſis effectibus probanda eſt; alia enim exempla minorem, alia majorem requirunt. In nonnullis quidem caſibus magnæ doſes, vel etiam ad dimidiam drachmam, feliciſſimo eventu adminiſtrate fuerunt. Sin autem alvi durities ea ſit, ut huic medicamento non cedat, vires ejus jalappa, gambogia, vel colocynthide, additis acuendæ ſunt. Sales neutrales hydrargyro muriato miti, cum exitu optato conjungi queant.

Si hæc omnia expectationem fallant, ſubitæ ac frigidæ pedum ac crurum aſpergines, quippe quibus, poſt cætera auxilia fruſtra tentata, res nonnunquam bene ceſſit, adhibendæ ſunt.

Nonnullis cum MOSELEY huic febri alvi purgatione ſola medendum convenit; dum alii cum JACKSON tempus in hoc morbo pretii majoris exiſtimant, quam ut catharticorum effectui tuto præ-

F ſtolari

ſtolari poſſint. De catharticorum utilitate minime diſputari poteſt; nec minus patet febri adeo in mortem præcipiti omni ratione, qua fieri poteſt, quamprimum obſtandum. Quoniam enim magna velocitate ad metam fertur, ancipitem cujuſvis remedii effectum opperiri, dum morbi ſigna remedia penitus diverſa poſtulant, inſaniæ foret.

Magna felicitas, quæ *hydrargyri muriati mitis* comes fuit, ex quo a CHISHOLM anno 1793 in hac febre peſtiferè graſſante libera manu adminiſtratum fuit, eidem haud parum innitendum digito quavi monſtrat; qualis enim cunque fuerit hujus medicamenti operandi modus, de rebus factis, quibus commoda ejus innituntur, adeo conſtat, ut nullum de utilitate ejus ſtatim, morbo naſcente, adminiſtrati, non ſolum ad alvum purgandam, ſed etiam qua *hydrargyri*, dubium ſupereſſe poſſit.

Cum hujus morbi velocitas nullum deliberationi locum dat, hoc remedium admodum mature adminiſtrandum, continuandumque eſt, donec os eodem

dem afficiatur, vel ſanitatis redeuntis ſigna uſum ejus ulteriorem parum neceſſarium indicent. Ad hoc remedium libere et audacter præſcribendum nulla non re incitamur; omnes enim, quibus ſaliva copioſe cietur, revaleſcere conſtat. Porro immanem hydrargyri copiam, hac febre laborantibus, non ſolum ſine periculo, ſed ne ore quidem affecto, dari poſſe, experientia conſtat. CHISHOLM * nos certiores facit "to one man fully four hundred "grains were given before the ſalivary glands "were affected." In nonnullis exemplis, quæ exitium attulerunt, multo major adhuc hydrargyri copia, nullo effectu manifeſto edito, devorata eſt.

Hujus igitur medicamenti doſis magna ſit, ſæpiuſque iteretur, oportet: quantitas a tribus ad octo, decemve grana pro morbi violentia variata, qualibet, vel alterna quaque, vel tertia quaque hora aſſumi debet; hac ratione idonea hydrargyri copia ingeri, alvuſque ſimul cieri poteſt. Si alvus, quod a priori, licet hoc rarius contingat, ſuſpicari poſſemus,

* p. 159.

mus, nimis cietur, fluxus medicamentis aſtringentibus mitioribus, et opio præſertim, compeſcenda eſt.

Cùm hoc potiſſimum agimus, ut hydrargyri copia, quantam æger commode ferre poteſt, injiciatur, ad uſum ejus externum in malignioribus præſertim mali exemplis, corpori unguenti forma affricandum, ſimul confugere debebimus ; et quo fortius erit unguentum hoc modo adhibitum, eo melius *.

Bal-

* Multi, hydrargyri ope copioſe adminiſtrati horrendæ hujuſce peſtis, manus evaſerunt, ipſe ſuperſtes viribus hydrargyri felicibus teſtimonium perhibeo. Hydrargyri muriati mitis grana 270 quinque diebus labentibus, granis quinque qualibet hora ſumptis, devoravi ; perque illud temporis ſpatium viginti unguenti ex hydrargyro fortioris drachmæ femoribus, eruribus, abdomini, et brachiis, mihi affricatæ fuerunt, nullo neque in alvum, neque in glandulas ſalivæ inſervientes, effectu edito, uſque dum febris receſſerat, quo quidem tempore ſaliva mihi, leniter manare cœpit, quatuorque circiter ſeptimanas, viribus paulatim recuperatis perſtitit. Porro medicamentum tertio die omiſſum fuit ; ita ut tota iſta hydrargyri vis quatriduo adminiſtrata fuiſſet.

Et ſane res mea ab initio uſque admodum ſingularis viſa eſt,

non

Balneum frigidum.—Ex magno beneficio, quod *typho regionum frigidarum* laborantes ex hoc remedio percipiunt, nulla deest ratio, cur idem *typho regionum calidarum* decumbentibus non æque profuturum credamus. Cumque aër frigidulus in his, præsertim ob calorem loci intensiorem, corporibus ægrorum admoveri non potest; frigidarium a multo fortiori ratione indicari videtur.

Ad hoc autem remedium, animum rarius quidem quam mereri videtur, regionum calidarum clinici advertunt, præsertim in morbo, in quo præstantissima

non tam autem propter hydrargyri vim administratam (quamvis pauci, si ulli, crediderim, ægri, tantam medicamenti copiam antea, eodem temporis spatio, assumserant) quam ob efficaciam plane mirandam, qua me ex dira febre, in qua omnes, qui me visebant, brevi conclamatum iri putabant, eripuit. Medicus amicus singularis, qui me curabat, remedii, ut supra administrati efficacia tactus, idem, utpote vitæ meæ exspes, libere et audacter præcepit.

Totam medicamenti quantitatem necessarius, amicus in re incerta certus, manu sua porrigebat; saluti enim meæ timens remedii exhibitionem famulantibus confidere nolebat: quamlibet dosin et fricationem, scripto manu sua mandavit, ita ut de hydrargyri quantitate administrati, accuratissime constet.

tissima remedia tam parum sæpe valent. Idem tutissime administrari posse, experientia constat.—GREGORIUS noster cui medicina tantum debet, nobis, in prælectionibus suis egregiis, se hoc, plures jam retroactos annos, non solum, non sine damno, sed etiam cum manifesto ægrorum commodo factitasse, confirmat: arteriarum pulsus, brevi post lavationis frigidæ usum, semper tardiores, molliores magisque regulares fieri, deliriumque remisisse, vel penitus decessisse, Professor observat.

JACKSON * testimonium suum, faustis lavationis frigidæ effectibus in Indiæ Occidentalis typho perhibet. Hic auctor inquit, " This practice may ap-" pear hazardous to those who argue without ex-" perience; but I can vouch for its general safe-" ty, and bear testimony to its good effects. " Sweat, with perfect relief from all the feelings of " anxiety and distress, was generally the conse-" quence of this mode of treatment." PORRO inquit, " If employed within the first twelve hours

" from

* On the fevers of Jamaica, p. 269.

" from the attack, it ſeldom failed of removing all
" the ſymptoms of danger."

Lavationis frigidæ hydrargyrique uſum inter ſe diſcrepare minime nobis videtur; cum morbo enim atroci et acerbo, qui tanta velocitate progreditur, non niſi remediis, pro rata parte, violentis, audacter, et decrotorio modo, adminiſtratis, dimicandum videtur,

Fomenta calida non ſolum quia ſpaſmum ſolvunt, ſed etiam quia dolorem capitis levant, a nonnullis commendantur. Commoda autem, quæ hoc modo afferunt, ſunt tantum fugacia; et forſan incommoda, quæ corpus laxando, ſolvendo, ideoque infirmando inferunt, haud exæquant.

Sudorifica.—Perfectam febris remiſſionem adipiſcendi conſilio, medicamenta ex antimonio præparata ad ſudorem ciendam commendantur; quia febrem, ſudore ſponte prorumpente, ſemper remittere obſervatione conſtat.

Pul-

Pulvis Jacobi ad hoc consilium absolvendum a multis antefertur. Pulveri vero antemoniali, quæ nunc quidem idem fere præparatum esse fertur, neutiquam præstare videtur. Antimonium tartarisatum neutri forsan horum medicamentorum posthabendum est. Ventriculus tamen hoc sæpius lædi, quibusdam putatur.

Ventriculi autem mobilitas antimonii usum plerumque præcludit. Quotiescunque igitur præscribuntur, hoc parvis tantum dosibus, prout ventriculo conveniant, iterandis, fieri debet.

Mistura salina, quippe quæ stomacho bene insidet, cutisque halitum leniter ciet, in omni febrium stadio, quibusvis signis urgentibus, adhibetur, et exemplis, quæ antimonii usum vetant, prodesse possunt.

Horum medicamentorum in hac febre effectus sunt admodum incerti; parum igitur ipsis fidendum. Porro signorum levatio, quæ sudori grato

ac tepido prorumpente, ſupervenit, hujus cauſa, non effectus, ſæpe videtur. Hinc, quando natura, ſordibus in tubo alimentario collectis, catharticorum opere, exoneratur, ſudor prorumpere invenitur; qui quidem effectus vix a priori expectandus eſſet, cùm alvi purgatio cutis halitum pro rata parte plerumque minuit.

Cortex cinchonæ.—De commodis, quæ febribus in regionibus calidis laborantes, ex hoc cortice percipiunt, omnium experientia conſtat. Cortex cinereus, ruber, flavus, ſuos quiſque fautores habuerunt; corticem autem rubrum haud tanta copia, quanta cæteri, aſſumi poſſe, ſæpiuſque ventriculi ægrotationem et faſtidium movere, obſervatione conſtat. Cinereus igitur et flavus anteferendi ſunt.

Quamprimum remiſerit febris, vel etiam ante, ſi alvus ſordibus ſuis purgatione liberata fuerat, conſilium eſt, ut cortex copia quàm maxima brevi tempore aſſumatur. Doſis minima, adulto præſcribenda, eſt drachma qualibet hora. Hoc autem

ex majore, minoreve facilitate, qua ventriculo retinetur, pendebit.

In mitioribus exemplis, ubi ventriculus cortici retinendo et ferendo par ſit, multum inde commodi percipitur. Ubi vero ſtomachus eundem ferre non poteſt, uſus ejus haud parum negotii ægro faceſſit, quod damnum non leve inferat oportet. His rebus circumſtantibus, cortex ſubter dandus videatur; beneficium autem inde proveniens exiguum forſan ſit.

Cortex anguſturianus quippe quæ generalibus cinchonæ dotibus præditus eſt, et ſæpe ventriculo retinetur, ubi cæteri cum faſtidio rejiciuntur, doſibus a drachma dimidia ad ſcrupulos duos variatis, altera quaque, vel tertia quaque hora, aſſumendis haud parum prodeſſe poteſt. Convaleſcentes in primis hunc corticem facile devorant quando cinchonam ferre non poſſunt.

Vinum, præſertim adjuvante cinchona, peculiari in

in debilitate, quæ typhum comitetur, vi, pollere inter omnes jam convenit. Ad vires reficiendas animumque demiſſum exhilarandum, cunctis, quæ in officinis proſtant, remediis, longe antecellit. Non ſolum enim putredini occurere et vim vitæ ſuſtinere fertur; ſed etiam pulſum in melius mutare, capitis dolorem, et aliquando etiam delirium tollere obſervatur.

De morbi tempore quo adminiſtrari debet, ex debilitate ſuperveniente judicandum erit; quamprimum hæc inſignis evaſerit, ſtatim incipiendum.

Quod vini quantitatem aſſumendam attinet, meminiſſe oportet, quod licet juſta copia proſit, ultra modum tamen ſumptum, contrarium effectum edit. Quamvis enim vires vitæ neceſſarias leniter incitando ſuppetias ſalutares ferre ſolet; vires tamen cordis et arteriarum vehementius accelerando ita debilitatem augebat, ut natura effœta facile opprimatur. Ad regulam generalem ſtabiliendam haud

ultra duas, præſertim vini meracioris, libras, in dies concedendum; unam circa libram in pleriſque caſibus ſatis fore, affirmare licet.

Quod vini delectum ſpectat, iſtud quod ægro magis arrideat, ſeligendum eſt. Si meraciora, qualia ſunt vinum Luſitanicum rubrum, aut Madeirenſe, anteferantur, aquæ puræ triente quaſi diluere oportebit.

Medicamenta exulceratoria pro remediis primariis in hac febre adhibenda non ſunt. Nihilo tamen minus ad ſigna quædam levanda haud parum prodeſſe poſſunt: Hoc conſilio epigaſtrio, aut hypochondriis dextris, ſtomacho, aut jecore inflammato, imponi debent. Dolorem capitis acutum poſteriori collo admota haud raro mitigant; porro majoris adhuc ſuppetias capiti ipſi applicata, latura admodum veriſimile videtur. Home* multorum periculorum auctor exulceratoria temporibus admota, tanta vi ad capitis dolorem

* Clinical Experiments.

rem typho laborantibus levandum pollere invenit; ut eadem toti capiti admoveri opus non ſit.

Matura capitis tonſura, ejuſdemque lavatio, ſive hæc fiat, aquâ frigida, ſive eadem cum aceto commiſtâ, veſicatoriis præmiſſa capitis dolorem et delirium adeo levare obſervantur, ut exulcerationi ſuperſederi poſſit. Hæc igitur hac febre laborantibus æque profitura, ſemperque, capite graviter affecto, tentatum iri jure conficere licet.

Cum vomitio, quæ ſupervenit, haud raro perpetua evadit, ægroque præcipuum negotium faceſſit, gravi periculo non vacat; ſumma igitur cura ad eandem componendam, et præveniendam, adhibenda eſt.

Hauſtus ſalini inter effervefcendum aſſumpti ſæpiuſque iterati prodeſſe obſervantur, adhibeantur igitur oportet.

Opium quippe quod ventriculi mobilitatem minuit,

nuit, beneficium haud leve polliceri videtur; hinc non fine magno commodo dari folet. Alvi autem durities, et fenforii conditio, ufum ejus liberum in plerifque exemplis vetant.

Aetheris fulphurici dofibus ad drachmam unam fubinde repetitis, etiam in cafibus, in quibus opium fruftra datur, res nonnunquam bene ceffit. CHISHOLM hoc medicamentum præ omnibus aliis ab ipfo adminiftratis, ad vomitionem compefcendam valuiffe afferit.

Capficum nuper a quibufdam clinicis Jamaicenfibus ad vomitionem reprimendam adminiftratum eft, magnaque vi pollere repertum eft. Succi expreffi guttam dimidiam, vel fructus maturi grana tria forma pilulæ, quoties vomitio redit, præcipere folent.

Nonnunquam, quibus alvus per totum morbi curfum infigniter compreffa fuerat, evenit, ut durities plures dies, immo interdum duas, poft ægros

re-

revalefcentes, feptimanas, aliquatenus perftat. In hoc rerum ftatu, alvus catharticis mitioribus, oleo, puta, ricini, ore fumpto, vel enematibus emollientibus, leniter fubinde laxanda eft.

Sanitas redux tanta cibi cupiditate commitari folet, ut ægri vix fibi a nimio devorando temperent; monendi funt igitur ne fe cibis ingurgitent, CELSI præcepti memores, "Cibus non multum "quidem, fed fæpe tamen nocte ac die dandus eft; "ut nutriat neque oneret."

Antidotum, quo advenæ, Indiarum cœlo nondum affueti, a morbi adeo periculofi impetu munirentur, fummopere defiderandum eft: *hydrargyrum* hoc nobis auxilium promittere videtur; quamvis enim confilio huic exoptando refponfurum experientia nondum fatis comprobavit, ex obfervationibus tamen Doctoris CLARK, eft cur idem non folum fanandæ, fed etiam arcendæ, febri, par inventum iri fperemus. Et ad bina hæc confilia abfolvenda ab eodem auctore ftrenuiffime commendatur.

F I N I S.

ERRATA.

Pag.	5. lin.	7.	*pro* regionibns	*lege*	regionibus.
—	—	—	— potiſſium	—	potiſſimum.
—	—	10.	— ſcnſorii	—	ſenſorii.
—	38.	17.	— fiunt	—	fiunt.
—	40.	2.	— humorem	—	humorum.
—	—	8.	— ſervada	—	ſervanda.
—	48.	2.	— antemoniali	—	antimoniali.

